

UM
RUM
E
EINZIA
UM





DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio VII.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

HEINRICO Arckenholts

Peinâ-Hildesienſi,

In Feſto Purificationis Mariæ.

A. O. R. cl. lpc. III.

HALLIS SAXONUM.

Prelo Heredum Melchioris

Oelſchlegely.

DIVINUM
EVANGELIUM
FESTIVALLUM

CHRISTIANO GUEINZIO
Gymnasii Halensis

HEINRICO BUCHENHOLZ
Rektor

HALLE
1710

HALLE SAXONIA
Probo H. ...
Officij





ANALYSIS
EVANGELII
IN FESTO PURIFICATIONIS
MARIAE

Luc. 2. a v. 22. usq. ad 33.

Πεγοίμιοι.



*Anna diu sterilis demum
precibus dante Deo effecta mater
natum Samuelem offert in do-
mum sanctam Deo, vitulumq. ad
gratiarum actionem, 1. Sam. I, 24. Maria
Deipara Spiritu S. obumbrata etiam Iesulum
cum munusculis offert; uti illud ipsum multo
describitur in textu Evangelico.*

THESIS I.

In quo habetur partim de Christi prae-
sentatione, ubi ejus in templo describitur
M ob.



oblatio v. 22. In quo tùm habetur circumstantia temporis, quæ nominatur: & cum completi fuissent dies purgationis ejus. *Ut nimirum purgaretur ab Ecclesiastica immunditie: qua una voluit Deus infirmitati etiam mulierum prospicere. Non quasi Maria fuerit subdita purificationis legi, siquidem nullo semine suscepto mater facta, uti habuit Basilius in cap. 7. Esa. 7. deinde quia partus erat sanctissim⁹. Fecit ergò ex humilitate ut nos humilitatem doceret, quemadmodum Bernhardus interpretatur, cum inquit: Verè, ô beata virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? uti ergò iste voluit circumcidi, ita etiam illa voluit purificari.*

2. Et amplificatur à norma purificationis: secundùm legem Moylis. *Quæ habetur Levit. 12, 2. ubi jubetur sedere in sanguine purificationis 33. diebus, & immunda esse septem, interea temporis nec rem sacram tangere, nec ad sanctuarium, donec dies purificationis completi, accedere, si masculum peperisset. Ut discamus legis præscriptum, quantum possibile esse servandum, neq; enim venit Christus tollere legem, sed adimplere Matth. 5, 17.*

3. Et causa materialis, seu objectum
cum

cum effectu in genere : tulerunt illum pa-
 rentes. Nimirum secundum legem. Ut discamus
 Christum voluisse solemniter sisti: Non
 quod patri presens non esset, quando enim, ha-
 bet Athanasius, à paternis aspectibus latuit
 Dominus? Aut quis remotus excipitur ab eius
 imperio? ut ibi existendo locus à patre sit? Nec
 quod sanctificatione ulla per oblationem illam
 opus haberet: erat enim sanctus sanctorum,
 Dan. 9, 24. segregatus à peccatoribus, Heb. 7,
 26. sed ut sponte toti legi, ita & huic particulae
 sese subiceret, ut nos, qui sub lege eramus, redi-
 meret, Gal. 4, 4. Ut discamus nos per eum eti-
 am esse natos & factos primogenitos, Hebr. 12,
 23. Sacerdotes & Reges Apocal. 1, 6. Ergò, ut
 habet Augustin. in narratione super Psalm.
 134. primogenita nostra salva sint in Domino,
 quia ille ipsa dedit nobis. Quanam autem sunt
 primogenita nostra? Mores isti nostri, quibus
 nunc servimus Deo, ipsa sunt primogenita no-
 stra; Primitias enim habemus ipsam fidem,
 unde incipimus. Ergò magna gratia Dei est,
 ut conservetur fides nostra, magna pœna est
 occidere primogenita, quando homines consti-
 tuti in afflictione Ecclesie perdunt fidem.
 In Christianis autem non quaruntur initia, sed
 finis, habet Hieronym. epist. 10, ad Furiam.

Paulus malè cepit, sed benè finivit: juda exordia laudantur, sed finis proditione damnatur.

4. In specie, locus: in Jerusalem. Ibi enim offerendus erat: quia inibi templum & cum templo inibi etiam schola. Ut discamus non posse nos purificari nisi offeramur ad templum quò recipiamur in fœdus.

5. Finalis causa: sistere Domino. Nimirum ipsum puerum Jesum, tanquã, quod ex seqq. patet, primogenitum secundum jus in Levitico præscriptum. Ut discamus ea, quæ legibus præscripta sunt divinis, esse observanda, & primitias esse Deo offerendas.

6. Et oblationis ratio, quæ est primogeniti consecratio v. 23. in quo est allegatum: sicut scriptum est in lege. Quæ lex volebat ut omne primogenitum sanctificetur Domino. Ut discamus secundum scripturam sacra administrare, simulq; eandem, opus ubi est, allegare, licet non simpliciter necessarium, pro ut non reperimus hic specialem locum, cum, nisi sit peculiaris ibi ἐμφασις non iuvetur auditor, qui retinere nequit, præsertim si plebejus, sed potius memoria jactetur, & tandem etiam præter necessitatem defatigetur.

7. Et mandatum, cujus subjectum:
Quia omne masculinum adaperiens uterum

rum

rum. *Alia enim lex de masculis, alia de foem-
nis, utraq; tamen de primogenitis, quia Deus in
Egypto unâ nocte omnes primogenitos neca-
verat usq; ad pecus, Exod, 13, 15. Ergo voluit
etiam sibi propterea primogenitos sanctificare.*

8. Et prædicatum: sanctum Domi-
no vocabitur. *In ministerium templi & sa-
cerdotii, Num. 3, 45. Ut discam; plebem Israe-
liticam fuisse peculium Dei, Deuter, 7, 6. Et
commonefiamus foecunditatem esse singulare
Dei donum ac bonum, Psal, 113, 9. Hoc autem
legis decretum, habet Nyssenus, in solo incar-
nato Deo singulariter, & ab aliis differenter
impleri videtur: ipse enim ineffabiliter conce-
ptus, virginalem uterum aperuit, non antea
connubio reseratum, servans post partum mi-
rabile inviolabiliter signum castitatis. Verus
ergo est primogenit; omnis creatura, Col. 1, 15.
ratione persona Heb, 1, 6. ratione officij ut qui
primus consiliū Dei de generis humani redem-
tione nobis promulgavit Jol, 1, 18. Bene, habet
Augustinus serm. 161. de tempore. Ipse est u-
nigenitus & primogenitus: unigenitus, quia sine
fratribus; Primogenitus, quia cum multis fra-
tribus, quos ei ad fraternam societatem gene-
ravit non equalitate substantia, sed adoptione
gratia. Magnum ergo est beneficium, primo-*

primogenitura gaudere, modo nō eam prostituimus, si quidam sunt infideles, habet Augustin. Et inanes habentes nomen & signum tantum in corde autem primogenitum suum sepelierunt.

9. Et debiti præscripti præstatio v 24. in quo effectum: & date hostiam. *Quæ* enim precedente versu habentur per Parenthesin quasi inseruntur. Hic alter finis attingitur presentationis respectu Maria. Puer offerendus non tantum, verum etiam puerpera cogebat se sistere. Ut discamus omnes nos quotquot concipimur esse natura immundos. Unde Ambros. in Apolog. David. c. II. antequam nascimur, maculamur cōtagio, antequam usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitatibus concipimur. Ne quisquam igitur, addit Cyprianus serm. I. de Eleemosyn. sibi blandiatur de corde puro & immaculato. Non quasi conjugium sit status impurus, dum est à Deo institutum. Gen. I, 27. honorabile Hebr. 13. 4. & quod Augustinus in enarrat. Psalmi 51. opus hoc castum in conjugate non habet culpam, sed origo peccari trahit secum poenam debitam, partus scilicet dolores Gen. 3, 16. interim, quod habet Augustinus lib. 2. contra Julian. I. Cor. 7, 5. Apostolus non solum à fornicatione nos retrahit, verum etiam

etiam in ipsis conjugis modum quendam docet & tempora prescribit orandi. Intemperans enim in conjugio, ait Ambros. lib. de Philosophia: quid, nisi quidam adulter uxoris est? citante August. lib. 2. contra Pelag.

10. Et modus in genere: sicut dictum est in lege Domini. Secundum quam ceremonia in V. T. utiq; celebrabantur & observabantur. Ut discam9 nullas esse Deo gratas ceremonias, nisi secundum legem Domini.

11. In specie, quoad distinctas parturientium personas. Divitibus quidem erat agnus offerend9, uti habetur Lev. 12, 6. sed quia dives propter nos pauper factus est, aliud sacrificium erat offerendum quod erat pauperum, quoad feras: Par turturum. Turturum autem par offerebatur, quia turtures docent castitatem, humilitatem & amabilitatem. Inde Emissenus Homil. in Purificat. qui corporis animaq; castitatem & sanctitatem custodiunt, illi par turturum Domino offerunt.

12. Quoad domesticas: aut duos pullos columbarum. Unu in holocaustu, alteru in oblationem. Aq; enim prefigurantur in columbis, quae in turturibus, uti sanguis columbae est mundissimus, sic sanguis Christi sanctissim9 1. Pet. 1, 9, uti columba calidissimus, sic sanguis

Christi ferventissimus Apocal. 1, 5. Uti sanguis columba virtuosissimus, ita sanguis Christi nobilissimum collyrium. Apoc. 3, 18. Ut discamus nos etiam imitari columbas, uti habet Bernhard. lib. de modo bene vivendi & Gregor. inquit super cap 1 Ezech. homil 7. Nos ipsi omnipotentis Dei sacrificio columba esse debemus, ita ut caput retorqueatur ad pennulas i. e. animo ad virtutes, ut ea, quae dicis, facias, & os opera conjungas, nec ita caput abscindendum ut à corpore dividatur, sed ex parte decisum, corpori suo jubetur inherere, quia videlicet mens nostra in carnali concupiscentia incidenda est, sed à carnis cura necessaria incidenda non est.

13. Partim est Simeonis obvatio v. 25. in quo praemittitur particula attentionis: Ecce. Dum peculiare quippiam & singulare unà cum oblatione contigit. Neque enim frustra quippiam unquam positum in sacris literis. Ut discamus attendere & cuncta observare.

14. Exponitur indefinite, quoad individuum vagum: Erat homo. Ut eo magis observaretur, ponitur generale nomen, sed intelligitur individuum ad excitandum auditorem qualisnam fuerit.

15. Quoad locum: In Jerusalem: Quae
civitas

civitas Domino, eò quod ignis ejus in Sion & caminus ejus in Jerusalem Esa. 31, 9. Ut discamus semper Deum habuisse etiam pios suos in loco suo.

16. Definitè, quoad appellationem: Cui nomen Simeon. Qui secundùm quosdam statuitur unus ex 72. interpretibus. quamvis vix verissimile, cum translatio isthac 276. annis ante Christum natum absoluta, perhibeatur. Quisquis vero fuerit nomen & omen habuit, cum, uti ex seqq. patet, fidelis auscultator audiat. Ut discamus æquè Simeones esse, si velimus idem de nobis etiam predicari.

17. Quoad descriptionem, absolutè à qualitate. Et homo hic erat justus. Non tam inhesiva justitia dū exercuit eandem inchoativè. Unde Ambrosius lib. 2. in c. 2. bene justus qui non suam, sed populi gratiam requirebat & totius populi expectabat salutem. quàm imputativa, quia in promissum patribus Messiam credidit secundùm justitiam fidei Philip. 3, 9. Ut discamus etiam justitiam utramq; habere, istam per fidem, illam quo Deo obedientiam, nobis sanctimoniam, majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam tribuamus.

18. Re-

18. Respectivè in genere: & religiosus. Quae religiositas complectitur in se amorem Dei. Unde etiam in vulgata legitur timoratus, Vitiorum fuit strenuus osor, virtutum studiosus sectator. Ut discamus aequè pietatem sectari, ut quae fundamentum omnium virtutum, uti habet Ambros. serm. 18. in Ps. 118. Pietas enim peccatorum indulgentia & ad omnia utilis 1. Tim. 4. 8.

19. In specie ab effectu: expectans consolationem Israel. Per quam intelligitur promissus Messias, qui ita vocatur per meton. effecti quod vera consolationis adversus peccatum & Diabolum sit Author; & ratione objecti quia credentes Israelita omnem salutis & redemptionis fiduciam in hunc unum collocabant, de quorum numero hic Simeon. Ut discamus quid senibus potissimum sit faciendum, nempe exspectare consolationem. Unde Augustinus lib. 12. de Abusion. grad. 2. plus omnibus religioni dare operam senibus convenit, quos praesentis seculi florida aetas transacta deseruit: sicut namq; in lignis ipsa reproba arbor comparet, quae post flores fructus optimos cultori suo non exhibet, sic & in hominibus ipse reprobus est, quem flos iuventutis deseruit & tamen in sui corporis senectute bonorum operum

rum maturos fructus proferrī parvi pendit.
 Quid enim stolidis potest fieri si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitus senectute confectus ad interitum properat? mature decet fieri senem si diu esse quis velit senex.

20. Et ab accidente dono: Et Spiritus S. super eum erat. Non tantum in eo, uti in aliis sanctis in 1. Cor. 3, 16. Sed super eum donis peculiaribus prae dicitur, visum prae aliis illuminando. Ut discamus etiam esse sacrarium Spiritus S. quò equè in nobis habiter.

21. Et peculiaris responsi ipsi facti revelatio v. 26. in quo probatur ab effectu speciali, cuius allegatur causa: Responsum enim acceperat à Spiritu S. Quomodo verò, non exprimitur: quando quidem multis modis Deus patribus locutus est. Hebr. 1, 1, Probabile est ipsi denunciatum esse per internam illuminationem secundum desiderium suum. Unde August. inquit. Intelligite fratres quale desiderium habuerit &c. Ut discamus desiderare salutare, si velimus illuminari. Et Bernh. Oportet ut ignis desiderii perveniat ad omnem animam ad quam venturus est Spiritus.

22. Et responsi forma: Non videre mortē priusquam videret Christū Domini.

Hoc

Hoc est non moriturum, nisi viderit promissum Messiam oculis corporeis, quem videbat oculis mentis. Ut discamus Deum interdum etiam extra ordinariè audire & vota prestare piorum.

23. Et effectus, qui est cygnea cantio, cujus iterum occasio est templi frequentatio v. 27. in quo allegatur causa impulsiva intetior: & venit in templum instinctu Spiritus S. *Qui in ipso & super ipsum erat.* Unde Origenes, qui vult invenire Christum debet in Spiritu S. venire in templum: non in spiritu superbie ut ambitiosi, non ut inanis gloria cupidi ornantes se variis vestibus, non in Spiritu luxurie aut garruli. *Qui enim vitia in Templum Domini inducit, ait Bernhardus speluncam latronum facit.*

24. Et circumstantia, quoad tempus: Inter inferendum parentes puerum Jesum. *Ubi sistere ipsum volebant & consuetas victimas offerre. Per parentes autem intelliguntur Maria & Joseph, què Evangelista secundum vulgi opinionem non secundum rei veritatem parentem Jesu appellat. Habetur autem Josephus pater Christi Luc. 4. v. 23. & ita appellabatur Luc. 2. 33. Ut discamus vaticinia divina in omnibus esse certissima.*

35. Et

25. Et quoad effectus: ut facerent ipsi secundum legis consuetum decretum. Nempe ut redimerent, sicut primogenitos aliarum tribuum, precio quinq; siclorum Num. 3, 45. hoc est duobus cum dimidio imperialibus.

26. Et Christi in ulnas acceptatio v. 28. In quo exterior gestus respectu corporis: & ipse accepit eum in ulnas suas. Agnitum scilicet ex S. S. certificatione; Dumq; manibus infirmitatem pueri accepit, ut August. habet serm. 20. de tempore, majestatem intus agnovit. Ut discamus non sufficere videre & tangere Christum, sed etiam recipere ipsum gaudenter amanter & reverenter inter brachia. Et si à tactu, habet Origenes, simbria vestimenti Christi mulier sanata, quid putandum est de Simone?

37. Respectu mentis: & benedixit Deo & dixit. Id est gratias egit Deo, non tantum pro exhibitione Filii in genere, sed potissimum pro prestita sibi promissione. Ut discamus etiam Deo pro prestitis beneficiis gratias agere.

28. Tum est forma seu declaratio, quae est partim in pace demissionis optatio v. 29. in quo circumstantia temporis: Nunc. Postquam oculis juxta promissionis sibi facta verbum iam viderat Messiam, ut eo ipso adimpletum esse promissum testaretur.

29. Et

29. Et res ipsa in genere: Dimittis. *Non dicit: Nunc moriar sed dimitti optat, seu potestatem discedendi. Metaph a militibus sumpta, quibus completis vigiliarum horis a statione sua discedendi & ad castra redeundi potestas conceditur; vel a diutinis & diurnis laboribus ab agricolis exantlatis, qui aequè dimittunt & jumenta & etiam optant dimitti a Patrefamilias; vel deniq; a viatoribus, qui ita diem dimissionem expectant ex hospitibus, ut domum veniant. Ut discamus mortem esse dimissionem, cum vita nostra sit jugum miseriarum sit, carcer, sit via ex quibus omnibus nos metipso non solvere debemus, sed solvi a superiori. Unde Lactantius l. 3. c. 18. instit. divinar. Quemadmodum in hanc vitam non sponte nostra venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis a Deo assignatum est, ejusdem jussu recedendum, qui nos in hoc corpus induxit, tam diu habituros donec jubeat emitti.*

30. In specie, quoad objectum, tum recipiens: *Servum tuum. Ut cui haecenus servierat, in justitia, religione, & expectatione. Vti ergo servus dimittitur, ita & ipse optat dimitti, quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate, uti habet Ambros. lib.*

lib. de bono mortis c. 2. *Vt discamus seruire si velimus dimitti.*

31. Tum occupans: Domine. *Fatetur ergo puerum istum esse Dominum, & eo ipso testatur verum Messiam, corporalibus oculis vidit humanitatem, intus autem illuminatus cognovit mundi Salvatorem & illum omnibus predicavit, ait Theophylact.*

32. Quoad modum in genere: secundum verbum tuum. *Quod ipsi in responsione erat revelatum & denunciatum, non visurum ipsum se mortem nisi viderit Christum Domini. Vt discamus in nostris Christianitatis negotiis verbum Dei spectare unice & ad istud provocare.*

33. In specie: In pace. *Hoc est sine ulla difficultate, animo prompto, ad voluntatem Domini quieto, hilari & leto. Quidni enim dimittatur in pace, habet Beruh. serm. 1. in Purificat. Mariæ, Qui Christum Domini habuit in pectore? Eius ergo est ad Christum nolle ire, qui non credit incipere se cum illo regnare, Cyprian. serm. 4. de mort. Ergo gaudendum quoniam corruptione corporis mors ipsa corrumpitur, ait Chrylost. hom. 35. in Mat. Beati ergo quorū mors in pace contingit.*

34. Et ratio respectu Simeonis, quæ
fuit

fuit salutaris conremplatio v. 30. in quo
 tum effectus respectu subjecti : quia vide-
 runt oculi mei. Nimirum id quod multi Pro-
 pheta & reges voluerunt videre, nec tamen
 viderunt Luc. 10. v. 24. Vnde Gregorius
 Nyssenus apud Thomam in catena hoc in
 in loco. Beati oculi tui, Simeon, tam animi
 quam corporis. Hi quidem visibiliter DEUM
 suspicientes, illi vero non solum quae visa sunt
 attendentes imo illuminati. spiritus fulgore Do-
 mini verbū in carne cognoscentes. Vt discamus
 videre spiritualiter esse felicitatis aeternae te-
 stimonium, anima enim duos habet oculos unū
 sinistrum, qui est cognitio fidei, alterum dexte-
 rum, qui est amor Dei.

35. Ratione objecti : salutare tuum.
 Hoc est Iesum, ut Nyssen. loquitur cuius no-
 mine salus declaratur Matth. 1, 21. o beatam
 ergo visionem videre Christum, ait Bernh. in
 medit. devotis. c. 4. in semet ipso. Et qui per
 fidem videt ipsum in hac vita spiritualiter, ille
 videbit in beatorum vita aeternaliter : ipsi non
 alieni Job. 19. 27, de facie ad faciem 1. Cor. 13,
 12. Ibi habet August. lib. 22. c. 3. de civitate
 Dei, vacabimus & videbimus, & amabimus:
 amabimus & laudabimus. Ergo non moritur,
 qui videt Christum.

36. Et respectu Christi, ubi salutare amplificatur ab objecto, estq; omnibus populis facta salutis manifestatio. v. 31. in quo efficiens causa: quod parasti. *Id est ordinasti & constituisti. Est enim filius missus à Patre in hunc mundum quo opus redemptionis perficeret. Ut discamus redemptionis negotium ad totius Trinitatis pertinere decretum.*


37. Et materia: ante faciem omnium populorum. Totius nimirum mundi Joh. 1. 29. *Idque ante faciem paravit ut omnibus ejus incarnatio pateret, ait Theophyl. in hunc locum. Inde est unicus Salvator Act. 4. 12. unicus reconciliator Rom. 2. 25.*

38. Et à subjecto, est luminis gloriæ revelatio v. 32. in quo subjectum: lumen. *Homines enim ante adventum Christi sedebant in tenebris & in umbra mortis. Et sicut tria sunt in lumine cera sc. sive sebum: ita corpus Christi etiam pingue quod nos pinguefacit 2. ignis, qui est radians humanitas 3. funis seu ligamen latens divinitas. Ut discamus si velimus esse Christiani, quò luceat lux nostra etiam coram hominibus Matth. 5. 16.*

39. Prædicatum, quoad gentes: ad revelationem gentium. *Seu lux que gentibus manifesta: ut illucescant. Vbi Simeon respicit ad*

cit ad Es. 9. 2. Gentes enim, ut loquitur Athanasius, ante Christi adventum in ultimis tenebris erant constituta cognitione divina privata: Christus autem adveniens, quod habet Cyrillus, factus est lux tenebricosis & erraticis, quos diabolica manus pressit. Hinc & desideratus gentium dicitur Hag. 2. 8.

40. Respectu Judæorum: & gloriam tuam plebis Israel. Summa redundabat in populum Israelis gloria: ratione sc. natiuitatis, qui ex iis est secundum carnem natus, ait Gregor. Nyss. Vnde Christus ipse dicit: Salus ex iudeis est Joh. 4, 22. secundo ratione promissionis quia Israelitarum erat adoptio & gloria Rom. 9. 4 Et denigratione patefactionis, quia ipsis primum annunciatus & predicatus est Act. 13, 46. quamvis pauci eius se participes fecerint, interim tamen est Christus salus omnium.



N O T A.

1.

Obtulerunt parentes puerum in templo) Considera humilitatem Christi & paupertatem; ut discas, si velis offerri Deo, utramque virtutem sectari.


II. Sime-

II.

Simeon accepit in ulnas suas) considera quanta reverentia exceperit; ut discas eandem, si velis & Christum amplexari simulq; ad templum venire.

III.

Nunc dimittis) considera voluisse Simeonem dimitti ex hac vita; ut discas contemnere temporalia & affectare eterna.



CASUS.

An primogenituræ jus probandum?

Non videtur 1. Quia equalitas inter liberos servanda, ut pax conservetur juxta illud Eccl. 25, 2.

2. Paulus inquit: filius ergo heres.

II. Jure civili liberi equaliter admittuntur in l. 1. C. unde liberi, & l. post mortem § ult ff. de bonorum posses. contra tabul. l. inter filios, C. tam. Hercif.

III. Lex hortatur parentes ut equaliter testentur inter liberos in Authen.

de nupt. § illud quoque, ubi Angelus rectè monet: Non debere patrem unum ex liberis facere filium, alium privignum.

IV. Ambrosius inquit in l. de Joseph. patriarch. c. 2. jungat liberos equaliter gratia, quos junxit equaliter natura.

V. Peccat primogenitus si secundū primogenituram solo patri succedat Cyn. in l. Barbar. col. 1. ff. de officio Prætor. & in l. præscripto in 3. C. de precibus imper. offerend. Bal. in. l. sed ea ff. de legat. 1. Knichen. tract. de Saxo non provocandi jure adverbū ducum c. 3. Wefenb. conf. 151.

Contra i. jure divino introductum est ut h. l. omnis masculus primum adape-riens uterum Luc. 2. 42. & alias Gen. 25. 5. 27. 19. Deut 21. 15. Hebr. 12. 11.

II. Jure gentium Cujac de Feud. l. 1. c. 9. ubi Livium, Justinum & alios citat.

III. In jure Feudali receptum in c. imperialem § præterea ducat. de prohib. feud. alienat.

IV. Jure canonico c. licet uxor X. de

VOLO

voto c. quam periculosum 7. q. 1. c.
grandi de supplend. neglig. lib. 6.

V. Ne dignitates interirent c. major & c.
dilect. X. de præbend. Gail. 2. observ.
153. n. 2.

*Natura deniq̄ ita comparatum ut
maiores natu imperent & dominentur juni-
ores serviant. Videatur Cothman. in re-
spons. juris l. volum. 3. Tiraquell. de
jure primogen.*

*Ideoq̄ non audiendi, qui arbitrantur
proventus equaliter distribuendos in sin-
gulos, administrationem omnibꝫ conjun-
ctim linquēdam esse Arnis. relect. polit.
2. c. 2. s. 7. n. 80. Minoribus possunt annua
pensitationes solui, & portio tradi, ita ta-
men ut primogenitus habeat dominium,
Ranchin tract. de success. ab intest. §.
c. 1. n. 2. 3.*

*Treutl. vol. 1. disp. 19. th. ulte. Tho-
los, 7. de Rep. & Bod. lib. 6. de Rep c. 5.
Unde ad primogenitum solum res perti-
nent mobiles, thesauri, bombardæ & que-
cunq̄ ad provincia utilitatem sunt desti-
nata, Bocerus tract. de success. feud.
§. 3. q. 49.*

Ad

Ad contraria 1. Pet. princ. cum enim per naturam non possit secundo genitus esse primogenitus, quomodo equalitas introduci poterit? ad impossibilia nemo obligatus. l. 185. ff. de Res.

Ad eo quidem ut primogenitus preferatur, licet pater nondum aliquam dignitatem habuerit: Inheret enim in primo momento generationis. Rolan à vall: consil. 28. n. 24 vol. 4. Et est jus radicatum non in patre, sed in filio Molina, l. 3. c. 6. n. 37. quod etiam in Aurea bulla confirmat: Harprech. instit. de succes. ab intest. n. 106. ex l. 2. § 2. ff. de decurion. & in l. 5. ff. de Senat & l. 9. § 14. ff. de poenis

Ad 2. fall. cause. Heres est qui filius, sed non equaliter. Disting. inter feudalia & allodialia, inter publica & privata.

Ad 3. fall. secundum quid in iis, quae admittunt equalitatem.

Ad 4. fall. cause in iis, de quibus testari potest quis, & salvo jure alterius, quod privatorum pactionibus mutari non potest.

Ad 5. conceditur quod pro equalibus sint habendi, quatenus natura habet.

Jam

Jam verò natura primo protulit, primum
Ergò per naturam jus etiam habet.

Ad 6. pet. prin: Non peccat, quia
jure habet, illud si habet, non, peccatum esse
potest. Interim, uti dictum, alimenta pro
ratione statò sunt assignanda ceteris. Huic
autem integrum jus manere debet, quia
alias sæpe contingit ut quis sine culpa suo
jure privetur, sed nõ sine causa c. antiqua
& ibi glosf. de privileg. per Dyn. in l.
sine culpa ff. de R. l.

An Masculus gaudeat in familia
Privilegiis?

Non videtur: quia 1. mulier non exter-
ra, sed ex homine creata Gen. 2, 21.

2. Quia æquè homo ut masculus sive
formam sive finem respiciamus l. Mævius
duorum v. hominis enim legatum ff. de
legat. 2. & l. 3. v. cum inter nos ff. de j. &
Jur. servus 7. in fin. ff. de serv. expor-
tand. l. in pecud. 27. in fin. ff. de usur.

3. In l. 14. C. de legitim. hæred. na-
tura testatur utrumq; corpus edere, ut
ma,

maneat civibus suis immortalē & alterum
alterius auxilio indigeat.

Cont. 1. de masculino hic legitur quod
sanctus Deo Luc 2, 48.

2. Masculus præfertur estq; principium
generationis Albertus lib. 15. hist. 2.
nim. cap 1.

3. In feudis Curt de feud. part. 3. memb.
1. n. 1. 18. in magistratu gerendo l. 2. ff.
de R. j. judicandi munere l. cum prætor.
12. ff. de jud. officis & consiliis Tiraq. d.
jure connub. leg. 1. gloss. 1. n. 82.

Ad Contraria, 1. Fall. cause: Non
hic queritur unde creatus, sed an gaudeat
privilegiis; Et tamē si rem accuratius con-
sideramus, masculo magis miraculose cre-
atus, ut qui ex terra, quàm fœmina quæ
modo ex homine.

2. Fall. secundum quid: Homo quidam,
sed non & equalis. Mulier enim mas im-
perfectus Bened. in c. Rainutius v. duas
habens filias n. 124. X. de test. unde &
præfertur, mulier vero ab omnibus officiis
civilibus & publicis remota. 1. §. 2. ff.
de post. c. dilecti 4. §. quamvis X. de ar-
bitis.



Ligna velut Sittim quondam preciosa fuere
Ex quibus arca Dei fœderis illa fuit.
Sic & virgo Maria fuit sanctissima, natum
Qua Iesus, sistit quum tamen illa Deo.
Ut completa dies Solymas purgatio iuxta
Moseam legem quum facienda petit.
Sic etenim scriptum: matrē quicunq; recludit
Primo sacratus masculus ille Deo.
Hostia quo deitur gemino de turture, sive
Biga columbarum qua modo nata foret
Se stitit & Solymis Simeonis nomine iustus
Optans solamen numine plenus erat.
Quod dederat responsū: nondū cernere mortē
Es pote nī Christum videris ipse Dei.
Numine quo motus petiit sacraria templi,
Sic est oblatum tunc simul iste puer.
Hunc ut in amplexu sumisit, tulit oscula pupo
Laudavitq; Deum taliter ore suo:
Ah servum dimitte tuum pie Despota tandē
Ah in pace, velut verba fuere tua;
Viderunt oculi, viderunt omne salutis
Pignus & ipsa mihi nunc tua visa salus.
Ne mihi visa salus, populis est omnibus illa
Sicut ab eterno sacra, parata salus

Et

Et qua lumen erit populis gentilibus, & qua
Israëlis plebi gloria sola tua.

Talia proponit nunc ARCKENHOLZIUS. Arca
Lignum, pergat, erit, quin & vel arca Dei.

GUEINZIUS.

XX

Qui cupit optato, sua solvere lumina,
letho,

Exemplo, ille suū, Simeonis cōterat ævum
In pietate, Deoq; pio de pectore vota
Cōcinat, & cygni moduletur carmine facta
Pluribus hæc repetit nunc ARKENHOLZI-
us, ista

Pergat, sic poterit placide valedicere mun-
do

quod ex animo precatur

JOHANNES DRUDE
Halberstadiensis Saxo.

Arx præcelsa cedri simul & venerabile
lignum

Summa poli summum tollit ad astra caput.
O Heinricæ colis Musas, tua gaudia Musa,
Inceptum felix continuato bonum.
Macte tuo ingenio, sic sic namq; iter ad astra,
In studiis pergas, arx eris, atq; cedrus.

MELCHIOR CUNCKELIUS.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.


HALLS

Q2 C



B.I.G.

Farbkarte #13



TIARUM
ELICARUM
VALIUM

quisitio VII.

ÆSIDE

NO GUEINZIO

asii Hallensis

Rectore

bondente

CO Arckenholtz

-Hildesienfi,

ificationis Mariæ.

R. cl. bc. III.

S SAXONUM.

edum Melchioris

elchlegely.

